



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Concilium Ovetense, Quo Decem Et Octo Episcopi ex concessione pontificis Ioannis VIII. ecclesiam Ouetensem metropolitana dignitate auxerunt, aera DCCCCXXXIX. qui est annus Redemptoris nostri DCCCCI. ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

ANNO  
CHRISTI  
901.

**CONCILIVM<sup>b</sup> OVETENSE,**  
QVO DECEM ET OCTO EPISCOPI  
ex concessione pontificis Ioannis VIII. ecclesiam Oue-  
tensem metropolitana dignitate auxerunt, æra DCCCC  
XXXIX. qui est annus Redemptoris nostri DCCCCI. sub  
Ioanne IX.

NOTÆ.

<sup>a</sup> *Concilium.* ] Ioannes papa VIII. ad petitionem Aldephonsi regis, inter alia, quorum fit mentio in epistola ad prædictum Aldephonsum, concesserat, vt Ouetensis ecclesiæ metropolitanam dignitatem acciperet, ideo imprimis, quia Aldephonsus Magnus illic regiam sedem collocasset. Interfuit inter alios huic Concilio Theodulfus episcopus legatus missus a rege Francorum: reliqui autem, qui ex propinquis ecclesiis conuenere, numerati sunt decem & septem episcopi. Primum igitur omnium, quod dictum est, constituta sede metropolitana ecclesia Ouetensi, Ermenegildus eius antistes archiepiscopus est appellatus: sicque ea dignitas, quæ antea inhærebat ecclesiæ Lucensi illi proximæ, in Ouetensem tunc est translata. Actum est etiam vt inuigilarent episcopi atque ministri eorum ecclesiasticæ disciplinæ, cuius rei perficiendæ causa, bis in anno, vt antiqui Canones docent, Synodum cogerent, in qua ea, quæ essent emendanda corrigerent. Additum præterea, vt episcopi illarum ecclesiarum, quæ fuerant a Saracenis destructæ, Ouetum se conferentes, in ea ecclesia militantes stipem consequerentur, si alias circumpositas sub eadem diœcesi constitutas ecclesias curarent. His constitutis, appositum est anathema ea non seruantibus. Post hæc rex & Ermenegildus ad episcopos sermones hortatorios dixerunt: quibus absolutis, episcopi ex more regi acclamantes regem laudarunt, quod ingentia latifundia Ouetensi ecclesiæ tribuisset, eiusque immunitates a prædecessoribus acceptas confirmasset: decimaquarta Iunii, æra 939. Synodus absoluta fuit. Hæc ex Baronio, qui eadem ex actis apud Sampyrum antiquum chronologum integre extantibus summatim hac ratione descripsit.

Occasio  
Concilii.

Episcopi  
quor inter-  
fuerint.

Acta Con-  
cilii summa-  
tim recitatur.

<sup>b</sup> *Ouetense.* ] Ouetum est ciuitas in Gallæcia sita, quæ ab antiquis ciuitas episcoporum dicta reperitur, ideo quod dum Saraceni Gallæciam incursionibus suis inquietarent, plurimi episcopi sedibus suis destituti Ouetum confluerunt, ibique tamdiu morati fuerunt, donec ad proprias sedes tuto redire liceret.

Ouetum  
cur ciuitas  
episcoporum  
nomina-  
ta?